

RENATUS RAPINUS

ECLOGAE SACRAE (1329 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de deux éditions : celle parue chez Arnod Doude, à Leyde, en 1672, et celle publiée en 1673, à Paris, chez Sébastien Mabre-Cramoisy.

## ECLOGAE SACRAE.

## ECLOGA I.

IN VIRGINEM CONCEPTAM.

DAVID SEU PASTOR VATES

NASCITURAE VIRGINIS IMAGINEM PER SOMNUM OBJECTAM AMAT ET VENERATUR.

E\_1      v.1      Hoc nemus, has valles, haec flumina pastor amavit  
             2      Jessaeus, dulces illo sub monte capella,  
             3      pascebat, tenuique gregem mulcebat avena.  
             4      Hic cecinit, cantu rupes vicina sonabat :  
             5      fatidicam quoties percussus numine mentem,  
             6      divinam valles docuit resonare profundas,  
             7      Parthenidem , casto pastorem incenderat igne  
             8      Parthenis, Hebraeas inter pulcherrima nymphas,  
             9      vos fagi testes, et odoriferae cyparissi.  
            10      At quae vicinae fundit se plurima rupi  
            11      desuper ulmus, habet calamos pastoris, et ipso  
            12      servat adhuc, cecinit quondam quae carmina, trunco.  
            13      Non procul e veteri resonant examina quercu.  
            14      Silva avibus strepit omnis, et ille herbosa secundum  
            15      prata fluit qui rivus, aquae dum garrulus errat,  
            16      pastorum teneros, quos saepe audivit amores,  
            17      narrat ad offensas arguto murmure cautes.  
            18      "Ingens ad laevam tollit se lucus, ubi omnis  
            19      caede madet tellus, et rorant sanguine vepres.  
            20      Hic pastor pugnavit, et hac immane leonis,  
            21      cum jaculo, victor spoliolum suspendit ab ulmo.  
            22      Cogite oves, pueri : silva dedit ursus ab alta

23 ingentem sonitum ; sed qua vestigia torquet  
 24 bellua, se tollit contra, dextraque prehensam  
 25 implicat, et molli oppressam discerpit in herba.  
 26 Stat pecus, attonitumque metu respectat, et horret  
 27 hirsutumque supercilium villosaque terga.  
 28 Junipero truncum caput ursi pendet ab ista.  
 29 Ducite ut ante greges, et reddite carmina silvis,  
 30 pastores, merita victorem ornate corona.  
 31 Nam patriae fera monstra, isto sub monte, peremit.  
 32 Parce tamen victor procedere, gramine in alto  
 33 caeruleus latet anguis, habet sub dente venenum.  
 34 Nec quidquam pastor fugit avius, avia serpens  
 35 afflavit tabo late, infecitque veneno.  
 36 Est ima sub rupe specus, sonat intus aquae fons,  
 37 quem circum multo fundit se gramine muscus,  
 38 atque apium, atque hederæ, atque virens thymus, atque adiantum.  
 39 Huc, dum solae errant per devia rura capellae,  
 40 sole sub ardenti, pastor se ferre solebat,  
 41 hic canere, hic viridi frigus captare sub umbra,  
 42 huc quoque deprensus, per gramina, dum fugit anguem,  
 43 venerat, inque humili fessus desederat herba,  
 44 cum rupem affatur jam plenus numine Vates.  
 45 "O quae serpentem, victo pastore, superbum  
 46 vidisti seu tu rupes, seu vallis, eundem  
 47 Virgine ab Hebraea quondam mirabere victum.  
 48 Nec jam letales colubri per prata nocebunt,  
 49 tuque o ! Quam saeculis promittunt fata futuris,  
 50 Diva veni, durum gentis miserata laborem.  
 51 O ! Mihi, si tantum vitae superaret, et aevi,  
 52 Virgo, tuum coram ut possem celebrare triumphum,  
 53 montibus in patriis, mihi pagus cederet omnis.  
 54 Cantanti, nec me, cecinit qui proxima Mosi,  
 55 ut perhibent, calamo egregius superaret Elizes.  
 56 Talia jactanti fontis vicinia somnos  
 57 fecit, eunt trepido lenes dum murmure rivi.  
 58 Vix bene sopito fatis promissa puella,  
 59 quae colubri caput elidat, monstrata per auras.  
 60 Hae simul auditae voces. Haec Parthenis ora,  
 61 Parthenis hos oculos quondam feret, inclita tantum  
 62 Parthenis, atque alias inter formosa puellas,  
 63 quantum alios inter formosus Lucifer ignes.  
 64 Tu venturam orbi primis venerabere votis  
 65 pastor, eam tecum pubes agrestis amabit.  
 66 Talibus attonitum visis, somnoque solutum  
 67 Jessiadem nymphæ divina reliquit imago.  
 68 Ille autem magno jam tum percussus amore,  
 69 "Quis mihi, quis te, inquit, rerum pulcherrima Nympha  
 70 abjecit Deus ? Atque objectam protinus idem  
 71 eripuit ? Quid Virgo fugis ? Si quaeris amari,  
 72 aut si te celas, cur tam divina fuisti ?  
 73 Credo equidem tenuem miseri pastoris avenam  
 74 agrestisque rudes calami aspernabere cantus.  
 75 Accipe vota, meos si non dignaris amores.  
 76 Et quamvis me non ausim promittere amantem,  
 77 nec sperem fas esse, tibi tamen, omnia quando  
 78 possumus, aut posse incauti speramus amantes,  
 79 Partheni, forte tibi mea quondam vota placebunt.  
 80 Montibus ante cavæ valles, aut vallibus umbrae,

81 fontibus aut rivi deerunt, aut murmura rivis,  
 82 quam tua, Virgo, meo labatur pectore imago.  
 83 Quae te non rupes illis videre diebus  
 84 errantem, et blandos jactantem pectore questus,  
 85 fortunate animi pastor ? Quae saxa gementem,  
 86 qui montes, quae te non audivere cavernae ?  
 87 Sed seu te rupes, seu gramina laeta fluentis,  
 88 seu virides silvae, seu patria rura tenerent,  
 89 Parthenidem silvae, et rupes, et rura sonabant.  
 90 Quid memorem ? Vano quoties altaria ritu  
 91 fluminis in ripa, vel fontem propter amoenum,  
 92 caespite de viridi, sectaque struebat ab ulmo ;  
 93 tum lectos pratis flores, textasque coronas  
 94 ponebat super, et silvestria dona ferebat.  
 95 Illum etiam perhibent, seu sidera forte videret,  
 96 seu Solem, et Lunam, seu pictos floribus hortos,  
 97 dixisse assuetum, tibi picti floribus horti,  
 98 Sol, et Luna tibi, tibi Partheni, sidera cedunt.  
 99 Nec tecum forma contendat pulchra Rachelis,  
 100 quamquam illam Isacides per taedia longa pararit  
 101 bis septem annorum, nec taedia longa putarit.  
 102 Dum vagus erraret, venit Jordanis ad undam  
 103 lassus, et extremae sedit sub margine ripae,  
 104 multa putans ; tum sic tenues effatus in auras.  
 105 "Ripa silet, silet aura, silent cum flumine valles ;  
 106 nec pectus, maestoque silent in pectore curae.  
 107 Ecquis erit tanto modus, aut quis finis amori ?  
 108 Omnis sperat amans, et durus sperat arator  
 109 venturam segetem, maturam vinitor uvam,  
 110 feturam pastor, flaventes messor aristas.  
 111 Quin age, praeque diem veniens, o Nympha, beatum,  
 112 nascere, nascenti Zephyris clementibus aerae  
 113 aspirent, puroque micet lux candida sole.  
 114 Ah ! Ne illam rigido contristet frigore lucem  
 115 immitis Boreas, aut nubibus aera foedet.  
 116 Ah ! ne illum contra tendant se nubila Solem."  
 117 Talia per montes, subjectaque montibus antra  
 118 dicebat, nec quid posset sperare, videbat.  
 119 Tantum per silvas, et per deserta viarum  
 120 ibat, ubi, quondam ventura in Virgine, vanus  
 121 suspirabat amans, quos non sperabat amores.

## ECLOGA II.

IN VIRGINEM CONCEPTAM. PASTOR VATES.

VIRGINIS SIBI PER SOMNUM OBJECTAE FUTURAM DIGNITATEM VATICINATUR.

E\_2 v.1 Ecce coronatis cessarunt rura juvencis,  
 2 ipsi cum gregibus persultant, monte sub isto,  
 3 pastores, non haec regnat per rura voluptas  
 4 nec quidquam, pagum rumoribus acta per omnem  
 5 fama volat, caesum patrio a pastore leonem,  
 6 silvarum qui terror erat : venere coloni,  
 7 pastores venere, feram videre jacentem.  
 8 Incertum qua caesa manu, dumque avia lustrant :  
 9 Jessaeum solo vatem reperere sub antro,

10 haerentem, curasque gravi sub corde prementem.  
11 Venit Adon, venit Johatas, dilectus uterque  
12 pastori, juvenes ambo, et cantare periti.  
13 Venit et Amasias pagi longaevus haruspex,  
14 qui quondam calamos, nec inertes passus avenas  
15 montibus in Syriis, omnis vicinia venit.  
16 Mulcebantque aegrum dictis curamque levabant.  
17 Ille autem divinum animi confessus amorem est :  
18 tum visam in somnis vana sub imagine Nympham  
19 narrat, et auditas voces, caesumque leonem.  
20 Mirantur casum socii, miratur et ipse  
21 Amasias, quid visa ferant, quo spectet imago  
22 Parthenidis, fari hortatur : tum, numine plenus,  
23 fatidicus Pastor monstratae Virginis ortus,  
24 fatorumque vias aperit, simul incipit ipse,  
25 mirari simul, et festo fremere omnia plausu.  
26 Nam memorabat uti mulier labefacta colubro,  
27 exitium generi fuerit, tum lapsa per omnem  
28 progeniem late turpis vestigia noxae  
29 hoc erat in pratis, inquit, quod letifer anguis,  
30 dum praeceps fugerem, diro me dente petebat.  
31 Et memini, cum me mater non vana monebat :  
32 "Serpentem fuge, nate, sui nam vulnere morsus  
33 perdidit ah ! Nostrum serpens genus, omnia labe  
34 pervasit, fuge nate, furit vis atra veneni."  
35 Deinde canebat uti labem contraxerat orbis,  
36 ut mortale genus tristis corruperat arbos,  
37 et fortunatos si numquam poma fuissent  
38 mortales, pomum quos ah ! fatale peremit.  
39 Clade in communi rerum, generisque ruina  
40 narrabat vitio exemptam, maculaque carentem  
41 Parthenidem, nondum terrae concreverat orbis,  
42 nondum mundus erat, cum jam formata puella,  
43 ac dictis ne vana fides, praesagia priscae  
44 pandebat legis. Sodomaeo ut sospes ab igne  
45 una domus, merso ratis una superstes ab orbe  
46 restaret, medios tuta ut virgulta per ignes  
47 montis Horebaei, flamma in crepitante, virerent.  
48 Addit, ad effusos ruptis ut nubibus imbres,  
49 nil accepit aquae vellus Gedeonis, ubi ingens  
50 area perfusis late stagnabat ab undis.  
51 Omniaque immunem communi a labe puellam  
52 tot rerum ostentis portendere signa docebat.  
53 Tum ventura canit, quo tempore Parthenis orbi,  
54 quam sero dabitur, primis ut deinde sub annis  
55 Caelicolum pactam regi, sacrisque jugatam  
56 ominibus cum matre pater sacrabit ad aras,  
57 exin uti castum caelesti pondere ventrem  
58 sentiet afflatu divini Numinis auctum,  
59 nam matris simul ista decus, simul illa pudicae  
60 Virginis intactum florem servabit, et omni  
61 Virgo parens late in populos celebrabitur aevo.  
62 Tum tibi Nympha aras, tum surgere templa videbis,  
63 affusosque aris populos, ipsique Sabaei,  
64 ipsi Arabes sua thura ferent, et marmore puro  
65 templa dabunt, totoque potens dominabere mundo.  
66 Tu tamen interea nostris cantabere silvis,  
67 o mulier divina, suo te murmure rivi,

68 te rus omne canet, certis tibi dona diebus  
 69 omnis portabit patrio vicinia ritu.  
 70 Pars et primitias frugum, cum lacte recenti  
 71 et tostas fruges, et adorea liba sacrabit.  
 72 Felices nimium pastores, o ! quibus olim  
 73 te primum dulces venientem lucis in auras  
 74 cernere contingat, quando, si credere dignum est.  
 75 Montibus in nostris, pastores inter, et agnos,  
 76 tu, Virgo, vitam accipies, lumenque videbis.  
 77 O si, pastores, aetas me vestra tulisset,  
 78 primus ego legerem flores, cunabula primus  
 79 floribus ornarem variis, et dona pararem,  
 80 insuper et calamo carmen modularet agresti.  
 81 Namque tuum numen, quo non praesentius ullum,  
 82 sentiet omnis ager, pomis curvabitur arbos,  
 83 grandia fecundae distendent horrea messes,  
 84 et pecudum plenis manibus praestabitur uber.  
 85 Et jam nostra tibi sacramus ovilia, jamque  
 86 feturam gregis, et pecudes cum lacte vovemus.  
 87 Ramus ut arboribus decori est, ut montibus arbos,  
 88 vallibus ut rigui fontes, ut fontibus umbrae,  
 89 tu decus omne tuis, nostri tu gloria ruris.  
 90 Et dum flumen aquas, et habebit campus aristas,  
 91 immortalis erit nostro tua gloria ruri.  
 92 Ipsae te pecudes, ipsi cum matribus agni,  
 93 ipsae te valles, ipsa haec arbusta loquentur.  
 94 Talia cantabat : repetebant omnia laeti  
 95 pastores, laetae repetebant omnia silvae.  
 96 Ex illo, per agros circum, per pascua, Nymphae  
 97 Parthenidi servatus honos, et certa quotannis  
 98 dona parata, suis decor, et laus addita donis.  
 99 Nec jam per silvas inhonestos Agarum ignes  
 100 cantabant pueri, nec jurgia saeva superbae  
 101 aut Dalilae, aut miseri illusos Samsonis amores.  
 102 Omnia Parthenidem celebrabant carmina, et unam  
 103 Parthenidem rupes, unam deserta canebant.

### ECLOGA III.

#### IN VIRGINEM NASCENTEM CANTILENAE.

JONATHAS, ATYS INTERLOCUTORES CELEBRANT ALTERNIS VERSIBUS  
VIRGINIS NATALIA.

E\_3 v.1 Dum molles Jonathas sub culmine Thaboris agnos  
 2 pascebat, cantu Jonathas lenissimus unus,  
 3 isto monte super, dulces qui pasceret agnos.  
 4 Venit Atys, cantando et Atys quoque magnus, et ipsi  
 5 par Jonathae, juvenes ambo, et cantare parati.  
 6 Cui Jonathas : "Cur non quando huc convenimus ambo,  
 7 tu canere ipse bonus tibi respondere canenti,  
 8 ad mollem fagi istius consedimus umbram,  
 9 muscus ubi, et saliens haec inter gramina rivus.  
 10 Hic tenero cytissus pecori, lotique frequentes,  
 11 et lenes Zephyri, et dulcis cantantibus umbra,  
 12 hicque suus pasto potus non deerit ovili.

ATYS

13 At nos divinae invitant natalia nymphae.  
 14 Nam fatis promissa, polo delabitur alto  
 15 progenies, carae quam matris ab ubere vidi  
 16 pendentem, sera e pratis cum nocte redirem.  
 17 Et nisi nostrorum vana est prudentia vatam,  
 18 hanc reginam orbis quondam, sed serus habebit.

JON.

19 Audieram disces hic quondam, lucis in auras  
 20 venturum infantem, qui nos in scepra referret.

ATYS.

21 Audieras, et rumor erat non vanus, et ipsos  
 22 saepe mihi id quondam meminisse parentes.

JON.

23 Nos lenti interea cessabimus ? Omnia quando  
 24 dulcis Aty, nata de Virgine certa reportas.

ATYS.

25 Carmina nos Nymphae, non deerunt carmina, nobis,  
 26 dicamus, dicenda neget quis carmina nymphae !

JON.

27 Imo ego, namque tibi non deerunt carmine laudes,  
 28 Virgo, tuas tendant qui dicere, dona parabo.  
 29 Sunt mihi bisseptem puri candoris olores,  
 30 quos aluere suis nymphae Libanitides antris,  
 31 et cantus docuere, vagi dum vallibus errant.  
 32 Hos ego, dum crescis, multa bene sedulus arte  
 33 te, Virgo, laudesque tuas cantare docebo,  
 34 ut tecum ludant faciles, cantuque perenni,  
 35 vespere te summo, primo te mane salutent.  
 36 Illos oro ut ames, nam semper amaberis illis.

ATYS.

37 Carmina non deerunt, si nobis munera desint.  
 38 Nam pater, et parcae dura inclementia matris  
 39 me prohibet, ne quidquam ausim promittere Nymphae.  
 40 Est mihi Betlemiis olim compacta cicutis  
 41 fistula, quam Phinees dono dedit, Isachar illi  
 42 donarat, nostris qui primus carmina silvis  
 43 ad calamos docuit componere, et addere voces  
 44 cantibus ad numerum, certa sub lege, coactas.  
 45 Hac regem saepe Assyrium, cum vana tumeret,  
 46 impleretque suos falsis mugitibus agros,  
 47 cantabat bonus, et socios cantare docebat.  
 48 Illa tuas, Virgo, cantabit fistula laudes.

JON.

49 Quamquam sis vates nostris pastoribus unus,  
 50 nec tua vicinae celarint carmina rupes,  
 51 non tibi, si certes, celebranda in Virgine, cedam.

ATYS.

52 At quis te, Virgo, magno satis ore loquatur ?  
 53 Aut dicat te digna ? Tuo ni munere dicat.

JON.

54 Qui molli nuper pratorum stratus in herba,  
 55 cantabam flores, et quae sit gratia florum :  
 56 nunc te, Virgo, canam primo quae lucis in ortu  
 57 Jam potes ore tuo splendorem vincere florum.

ATYS.

58 Verum ego, qui Lunam in silvis, Solemque canebam  
 59 auricomum, tum quae Lunae, quae lumina Solis,  
 60 nunc totis tua, Virgo, canam natalia silvis,  
 61 quae Solem, et Lunam primo jam vincis in ortu.

JON.

62 Omnes nascenti vos o ! concedite, Nymphae,  
 63 seu quas primus habet seu quas habet ultimus orbis  
 64 formosas, primo quae vix sub limine vitae,  
 65 et potuit jam tum, et meruit divina videri.

ATYS.

66 Nonne vides, cum mite solum se vere benigno  
 67 induit in flores, ramis exsultat opacis  
 68 omne nemus, montes, et prata virentia rident.  
 69 Talis prima fuit ridentis gratia Nymphae,  
 70 primum oculis matri cum respondebat amorem.

JON.

71 Qualis in irriguo cum mollis amaracus horto  
 72 crescit, et ambrosium crescendo fundit odorem,  
 73 sic virtus tua, Virgo, tui sic gratia vultus  
 74 crescet, et ipsa suum crescendo fundet odorem.

ATYS.

75 Forsan et ipse etiam, quos Nymphae sidera mores,  
 76 dum crescat, veniatque suis cum floribus aetas,  
 77 et quae fata patent, canerem, si blanda canenti  
 78 gratia, si digni spirarent Virgine cantus.

JON.

79 Cresce puella, tibi crescit quae plurima myrtus,  
 80 vallibus his, nec aquas, nec iniquos sentiat aestus.

ATYS.

81 Nascenti myrtus si sit gratissima Nymphae,  
82 nec rosa, nec violae myrtos, nec lilia vincent.

JON.

83 Matres, ferte rosas, vos lilia ferte, puellae,  
84 ut textam Nymphae lecto de flore coronam.

ATYS.

85 Tollite vos, matres, vos tollite sarta, puellae :  
86 sidera descendant caelo, Nymphamque coronent.

JON.

87 Saltem purpurei per gramina crescite, flores,  
88 quos legat, et nitido componat pollice Nympha.

ATYS.

89 Floribus at sat erit, si sub vestigia Nymphae  
90 surgant, vel sacro pressi pede surgere sperent.

JON.

91 Cum pratis praesens aderis, non carmina deerunt  
92 culta, nec incurvo resonet quae tibia buxo.

ATYS.

93 Tuque hic inter oves frondosi fontis ad umbram,  
94 sublimis musco frigus captabis opacum.

JON.

95 Nec te paeniteat pecoris divina Puella,  
96 pavit et ipsa greges quondam formosa Rachelis.

ATYS.

97 Tum nostri Agricolae, quando tua numina norint,  
98 te votis facilem segeti, pecorique vocabunt.

JON.

99 Spem facit agricolae prima sementis in herba,  
100 pastori fetura, gregi spem gramina, rivi  
101 graminibus, tua, Virgo, tuo natalia ruri.

ATYS.

102 Graminibus pecudes, et gramina vallibus imis,  
103 imae fluminibus valles, et flumina ripis,  
104 arboribus ripae, nos spe gaudemus amantes.

JON.



105 Ipse, sinat mater, placeant quae munera mittam ;  
 106 namque locum vidi quo congessere columbae.

ATYS.

107 Sunt mihi cana novem molli lanugine, nuper  
 108 saepibus in nostris, quae mala Cydonia legi.  
 109 Estque domi dilecta soror, quae munera portet,  
 110 et dicat : "Virgo, qui mala Cydonia mittit,  
 111 mittit et ipse animum, tu munus et accipe, et illum."  
 112 Desierant, at oves ut erant circum atque juveni  
 113 obstupere et oves cantum, obstupere juveni.

ECLOGA IV.

IN VIRGINEM NASCENTEM MUNERA.

VIRGINI NASCENTI PARANT MUNERA PASTORES.

E\_4 v.1 Ite boves, omnis pagus vacat, ite soluti  
 2 vomeribus, rastrum vacuus deponat arator,  
 3 festum pastor agat, tua sunt natalia, Virgo.  
 4 Haec viridi e tumulo, terebinthum subter opacam,  
 5 divinus Lysias, turba spectante, canebat,  
 6 idem pastorum Lysias, oviumque magister.  
 7 Accurrunt nymphae ad cantum, properantque vocati  
 8 agricolae, qui dona parent, portentque puellae.  
 9 Et prior ante alios presso cum lacte ferebat  
 10 insignes maculis, capra e candente, gemellos  
 11 Belieser, primo cervix quibus ardua cornu,  
 12 cervicemque super lecto de flore corona.  
 13 Sedula Tamarias, cum Beliesere marito,  
 14 lilia cana novem dono fert, fertque hyacinthos  
 15 florenti nexos, et permixtos amaranto.  
 16 Fert Jocabe fructus, horto cui divite multi  
 17 pendebant ficus, et mitia poma rubebant,  
 18 in musco ficus, in vimine poma ferebat.  
 19 Portat cum famulis et dura conjugue Beris,  
 20 frondosi qui summa colit pineta Sionis,  
 21 dives agri, dives pecoris, vitisque novellae,  
 22 primitias frugum ; properataque liba per herbam  
 23 expediunt famuli, perfundunt lacte placentam,  
 24 tum parco melle intingunt, onerantque canistris.  
 25 Fert turdos Jonathas, visco qui saepe tenaci,  
 26 retibus aut tensis, aut fictae carmine vocis,  
 27 et falebat aves, et eas cantare docebat.  
 28 Tum bonus ipse etiam exemit quae subere Phison  
 29 cerea dona cavo, puro cum melle parabat.  
 30 At felix operum, quae nullis una puellis,  
 31 seu tereti lino, mollis seu vellere lanae  
 32 ducat opus, ducti concedat munere fusi,  
 33 Dina laborati textum admirabile lini  
 34 portat divinae chlamydem factura puellae,  
 35 docta et acu linum, docta et deducere fuso.  
 36 Bernice certis, cui plurima mulctra diebus  
 37 spumabat, sinum lactis parat anxia, et addit

38 lacti pruna, rosasque suos quae Beris amabat.  
39 Et ni, Virgo, tibi servasset, Beris haberet.  
40 Ducit Atys geminas ipsa cum matre capellas,  
41 spem gregis, et blandae solacia prima sororis,  
42 quae bis et ad mulctram veniunt, bis et ubera tendunt.  
43 Utque suo quoque non desit sua gratia dono,  
44 et lotas nitidis in fontibus, et bene pexas,  
45 atque rosa, atque thymo, atque apio frondente coronat.  
46 Non procul hinc plexis redimitae tempora sertis,  
47 Thaborides nymphae per florea rura vagantur.  
48 Arbuteis quaeserta legant portanda canistris,  
49 et thymbram, et violas, et cetera munera ruris,  
50 munera divinae cunis spargenda Puellae.  
51 Pars molles calathos florenti texit hibisco,  
52 parsque legit flores, calathos pars floribus implet.  
53 Dum parte ex alia pastorum rustica pubes  
54 vino hilaris, dulcem vicini sontis ad umbram,  
55 Virginis agresti laudes meditatur avena.  
56 Quos etiam monitis Lysias hortatur, et urget.  
57 "Vos, ait, o, quibus est lectos per gramina flores  
58 quaerere amor, mecum nascentiserta Puellae  
59 carpente, et eximiam imprimis de flore coronam  
60 texamus, mollique thymum jungamus acantho ;  
61 spirat dulce thymus florenti junctus acantho,  
62 et densa Nymphae cunas aspergine florum  
63 ornemus, capitique suos addamus honores.  
64 Namque Dei, si vera fides, et credere dignum est,  
65 quondam mater erit, nec eam ventura silebunt  
66 tempora, si meritae norint praeconia famae.  
67 Ecquis erit tantam inter vos qui dicere Nympham  
68 audeat, et blando teneat spectacula cantu ?  
69 O mihi si primi redeant cum viribus anni,  
70 qualis eram, cum me calamo donavit eburno  
71 Mathatias, celebrata olim ob certamina fratrum,  
72 quali, Virgo, tuas cantarem carmine laudes !  
73 Vos quibus est animi vigor, et vis blanda canendi,  
74 vos o nascentem pastores dicite Nympham.  
75 Egregium victoris erit pro carmine munus,  
76 molle pedum, flavo extremum quod vinxerat aere  
77 Bananias, moriensque mihi donarat habendum.  
78 Addam utrem paribus calamis, et follibus aptum.  
79 Ore favete omnes, et cingite tempora lauro."  
80 Sic fatus sumpsit laurum, quam tempora circum  
81 imposuit : sic fidus Atys, sic cetera turba,  
82 et certare alacres, et jam cantare parati.  
83 Carminibus dictis, tam laetae lucis honorem,  
84 per patrios montes vicinaque rura, quotannis  
85 indixit Lysias solemnem semper habendum.

.../...

## ECLOGA V.

IN VIRGINEM TEMPLO PRAESENTATAM.  
 VIRGINES HEBRAEAE, HELISISABE, SUSANNA, DEBORE, SALOME,  
 AD TEMPLUM PROPERANT, UT VIRGINIS SE AD ARS DEVOVENTIS POMPAM VIDEANT.

HEL.

E\_5 v.1 Quo vos, o fidae comites, properare paratis ?

DEB.

2 Ad templum, nos festa vocant spectacula templo.  
 3 Quo tu autem ? Nam te miror procedere solam  
 4 Helisabe, quo tendis iter ? - Quo tenditis ambae ?

SUS.

5 Hoc tibi dura adeo potuit permittere mater ?

HEL.

6 Ipse pater, clam matre, domo discedere jussit,  
 7 qui dum forte domo se matutinus agebat,  
 8 audiit in totam quod spargi coeperat urbem,  
 9 delubro in magno spectacula certa parari,  
 10 Virgine ab Hebraea, Hebraeis visenda puellis.

DEB.

11 Me quoque qui ritus, quae sint spectacula porro,  
 12 visere vult mater, neque me pater ire recusat.

HEL.

13 Tu sine me comitem mea Debora, et inter eundum,  
 14 quae virgo, quam rem demum paret, ordine pande.

DEB.

15 Est templo mihi fida, tibi bene nota Salome,  
 16 una sacris alias inter devota puellas :  
 17 illa domum misit, qui me cum matre moneret,  
 18 quid rerum in templo, quo ritu Virgo pararet  
 19 trimula, regali prognata e sanguine Virgo.  
 20 Tum matrem (namque haec spectacula semper amavit.  
 21 Mater) amor cepit, quid ferret pompa, videndi.  
 22 Et mecum templo sese promisit ituram.  
 23 Non tulit id genitor, matri ne turba noceret  
 24 affectae, sextoque uterum sub mense ferenti.  
 25 Huc festino autem, matri quae visa reportem.

HEL.

26 Olli quod nomen, quaesit fortuna Puellae,  
 27 quod genus, aut qua spe tam blandae aetatis ad aras  
 28 se voveat, referet, quae noverit ista, Salome.

SUS.

29 Non longam est quod restat iter ; sed forte, priusquam  
30 venerimus, ne se devoverit illa veremur.

SAL.

31 Quae vos o lentae tenuit mora tanta puellae ?  
32 Pompa omnis perfecta, suam stat victima ad aram.

SUS.

33 Hanc fecere moram longa intervalla viarum.

DEB.

34 Singula, quando aderas, non te narrare pigebit,  
35 dum vacat, extrema namque huc ex urbe venimus.

SAL.

36 Dicam equidem, neque vos longo sermone morabor,  
37 principio niveis ingens in vestibus ibat  
38 turba sacerdotum, quae carmina sacra canebat.  
39 Tum pueri tortis evincti tempora ramis  
40 ardentis manibus taedas de more ferebant.  
41 At Virgo, puri qualis rosa plena pudoris,  
42 ore rubens, linoque caput velata recenti  
43 ibat ; eam circum, flores laurosque virentes  
44 vimineis nymphae calathis, et serra ferebant.  
45 Flaventem levis aura comam spargebat eunti.

SUS.

46 Illam si quid amas, meruit quae talis amari,  
47 cur nomen celas nos Virginis hujus amantes.

SAL.

48 Parthenis est nomen, tenuis fortuna Puellae :  
49 sed genus est prisco regum de sanguine clarum.  
50 Ut ventum ante aram, prostratae fundimur omnes,  
51 orantes multam sacra pro virgine pacem ;  
52 stabat at illa animi fidens, arasque tenebat  
53 multa Deum verbis testata, Deique ministros.  
54 Juxta aderat, lacrimisque sinum replebat abortis  
55 Anna parens, natamque Deo parere monebat.  
56 Illa Deum affatur. Nos blanda in Virgine fixae  
57 spectamus, quo vota ferant, quid munera portent.  
58 Tum qualis nobis, et quam divina videri  
59 coepit ! Honos oculis novus, et decor additus ori.  
60 Mirabar tacite mecum, et suspensa pavebam.  
61 Sed magis obstupui, cum sic exorsa profari.  
62 "Accipe prima mei voveo quae dona pudoris,  
63 o Pater, aeternum da virginitatis amorem,  
64 da colere, atque omnem sit fas odisse hymenaeum."  
65 Talibus orantem dictis, arasque tenentem  
66 mille rosis, ut erant circum, texere puellae :

67 tum carmen cecinere, modos et verba notavi.  
 68 "Cedite virginibus, vos o jam cedite matres.  
 69 Nec nos innuptas nuptarum gloria tangat,  
 70 una super reliquas Virgo memorabere matres,  
 71 solaque virgineum servabis mater honorem."  
 72 Postremo Anna parens vocem tollebat anhelam  
 73 attonitae similis : "Fidens i nata, hymenaeos  
 74 sperne omnes, tuque insigni laetabere facto.  
 75 Tempus erit, cum mille aevo florente puellas  
 76 spernere dotales tecum mirabere taedas,  
 77 quas pudor aeternus sacro velabit amictu  
 78 caelesti pactas sponso, et tua facta secutas."  
 79 Talia dicebat simul, et simul ora rigabat  
 80 laetitia illacrimans, natamque amplexa tenebat.

SUS.

81 Quae turba o comites ? Quin cedimus. - Hei mihi velum  
 82 rumpitur. Oppressae fer opem Susanna sorori.

SAL.

83 Virgo redit, cernis venientem, multus inumbrat  
 84 flos caput. - Ut vultus blande demissa modestos  
 85 incedit gravis, et toto spectabilis ore !

HEL.

86 O fortunati, qui te genuere parentes  
 87 tam dignam, nostros cui devoveamus amores !

SAL.

88 Ite domum, sero inclinat nam vesper Olympo,  
 89 cum jam pompa omnis processerit, ite puellae.

SUS.

90 Hac iter est breve per divortia certa viarum,  
 91 et callis secretus : habet nam cetera vulgus.

HEL.

92 Post turbam lentae, manibus per mutua nexis,  
 93 ne nos dispersas agat in diversa, sequamur.

DEB.

94 Si prius audissem, quid talis pompa tulisset :  
 95 ingens myrtus erat tecti in penetralibus altis,  
 96 fregissem ramos, et Nymphae sarta tulissem.

SUS.

97 Nescio quae blanda, comites, dulcedine mentem  
 98 vis agit, expertem thalami stat degere vitam,  
 99 aspernata viros divino sponsa marito  
 100 Virgo datur, quid non nobis spetare licebit ?

HEL.

101 Si fas caelestis thalamos optare mariti,  
102 non ipsa abnuerim mortales spernere taedas.

SUS.

103 Digna Deo tu sponsa, viros si despicias omnes.

DEB.

104 Quid faceret, qui te tot agris dotalibus ambit  
105 Ananias ? Huic te, ut perhibent, pepigere parentes.

HEL.

106 Sunt aliae in Solymis, quarum connubia poscat.

SUS.

107 Quo ferat ille suos ; a te despectus amores ?  
108 Quin fucum, comptasque comas, unguentaque amantis,  
109 i potius, sequere, atque animos submitte marito.

HEL. Te potius sequor, et tecum connubia sperno.

SUS.

110 Quid si dura premant invitam jussa parentum ?

HEL.

111 Hinc fugerem, et montes errarem sola per altos  
112 venatrix ; liquidi praeberent pocula fontes.  
113 Interea mixtis lustrarem Galgala nymphis,  
114 frigus ubi captare, dies cum plurimus ardet,  
115 fas foret, et lectos tibi, Partheni, nectere flores.

DEB.

116 Verum ego, Virgo, tui mores imitata pudoris  
117 ante aras, ipso tecum consumerer aevo ;  
118 servaremque tuos, tua per vestigia gressus."  
119 Illae, haec inter se dum miscent verba puellae,  
120 hasque agitant alto curas sub corde, redibant.

## ECLOGA VI.

IN VIRGINEM ANNUNTIATAM. SIBYLLA.

SIBYLLAM ERYTHRAEAM, QUAE FORTE VENERAT AD JORDANEM,  
DUM CONSULUNT DUO PASTORES, MIRA AUDIUNT AB ILLA,  
DE VIRGINE SUO IN RURE NASCITURA.

E\_6 v.1 Uranides Musae, quando divina paramus,

2 et vos divinum vati concedite carmen.  
3 Non omnes tenuis cantus delectat avenae.  
4 Forte suas pastum pecudes ad gramina nota  
5 valle in deserta Sephis ducebat, et Arnon,  
6 insignes iidem calamis, jaculisque periti.  
7 Dumque una quaerunt Lysiam (spe carminis ambos  
8 jamdudum Lysias incenderat) ecce sub antro,  
9 cum jacet ipse sibi indulgens, videre jacentem  
10 et carmen petiere. Senex dum multa recusat,  
11 "Ite, ait, o pueri, non deerunt carmina vobis,  
12 ite, et Erythraeis, quae nuper venit ab oris,  
13 carmina quae vultis divinam orate Sibyllam.  
14 Hanc fama est vitream liquidi Jordanis ad undam,  
15 excelso stantem in scopulo, sub rupe cavata,  
16 eventus rerum populis aperire futuros.  
17 Illa colit silvarum umbras, et sola sub ipsis  
18 litoribus, nemorumque recessus inter opacos,  
19 degere amat, montesque feros umbrasque silentes  
20 affari ; ut sera nuper mihi nocte canebat  
21 Alcimus, amissis qui tum responsa Sibyllam  
22 orabat tauris, et se vidisse ferebat.  
23 Ite, ego dum pastas pecudes ad tecta reduco.  
24 Vos o ! quae novit rerum ventura Sibylla,  
25 vos longe doceat melior. Mandata capessunt,  
26 corripiuntque viam, qua semita ducit ad amnem.  
27 Ut fluvium venere, moram nam longa viarum  
28 aut spatia, aut passim objectae per confraga valles  
29 non fecere, vident stantem sub rupe Sibyllam,  
30 speluncae ante fores, densis quam plurima ramis  
31 umbrabat late fagus, fagique sub ipsis  
32 carmina scribebat foliis spargenda per auras.  
33 Quos virgo ut vidit, subitum testata furorem,  
34 exclamat, saxoque ambos affatur ab alto :  
35 "Accipite haec animis, rerum quae maxima vobis  
36 edico, o pueri. Vestris nascetur in oris  
37 pura animi Virgo, quae quamquam illaesa pudoris,  
38 dici mater amet. Manibus vos lilia plenis,  
39 lilia virgineae pastores spargite matri.  
40 Quae flavam vitrei quondam Jordanis ad undam  
41 paupere sub tecto, projecti in stramine feni  
42 Auctorem rerum, coetus non passa viriles,  
43 in lucem dabit. Ah ! quanto se tollit honore  
44 caelestis puer ille ? Dei quantum instar in illo est :  
45 ite, o pastores, pastorem agnoscite vestrum ;  
46 sternite humum violis venienti, et spargite flores.  
47 Salve, magne Puer, caeli cui sidera parent,  
48 venisti errantes longequae per avia sparsas  
49 cogere oves, pacemque tua pro gente pacisci.  
50 Debebit vestrae prima incunabula rupi,  
51 Betlemii colles ; nascenti carmina dicent  
52 pastores passim vicino e rure vocati.  
53 Nec tu quamquam atra nascentem nocte tacebis  
54 Luna Deum. Totis celebrent qui gaudia silvis,  
55 caelestes aderunt pueri perculsa sonabunt  
56 saxa, omnesque ibit felix haec fama per agros.  
57 Ipsi etiam Eoo reges a sole profecti,  
58 et puero dona ampla, almae et dona ampla parenti  
59 portabunt, illis e summo sidera caelo

60 monstrabunt regem vestris in rupibus ortum.  
61 Sed tam justa autem turpabit gaudia casus,  
62 crudeli, mater, ne sit mora, cede tyranno,  
63 cede Puer, vobis cladem exitiumque ferenti.  
64 Quos ah ! Tum gemitus, quae tum suspiria ab alto  
65 corde dabit Bethle infelix ? Cum maesta dolebit  
66 vi dura regem expulsum, et longinqua petentem  
67 exilia. Hos fletus, has porro mitte querelas.  
68 Namque tuis, certum post tempus, redditus oris,  
69 se signis populo egregium, fandique potentem  
70 ostendet, virtusque viri manifesta per omnem  
71 splendeat late factis ingentibus oram.  
72 Vos eritis testes ripae cum voce Magistra,  
73 et monitis plebem effusam mulcebit amicis :  
74 quem populi quamquam stupeant insueta loquentem,  
75 te, mater, felicem uteri, felicia dicent  
76 ubera, quae talem quondam pavistis alumnum.  
77 Quid video ? Niveam chlamydem cruor ater inussit,  
78 purpuream veluti si quis pede presserit uvam.  
79 Ah ! Tibi quis tantum puros infecit amictus,  
80 blande puer ! Sed quae me autem spectacula terrent ?  
81 Nos inconcessa decerpimus arbore pomum,  
82 tu poenam luis : ah ignoscite ! Namque quid ausus ?  
83 Quid meruit ? Vestro, gens dira, ignoscite regi.  
84 Dum loquor, immiti plantas, et brachia trunca  
85 distendunt ambasque infigunt cuspidem palmas.  
86 Palluit aspectu Titan, noctisque profundae  
87 attonitos atro obduxit velamine vultus.  
88 Parcite lamentis, pastores, parcite turbae.  
89 Pro vobis erat ille patri mactandus ad aram.  
90 Perge, Puer divine, tuo nos funere vitae  
91 restituis, caelique vias et sidera monstras.  
92 Te duce, candida pax, cum fecerit otia terris,  
93 aurea languenti reparabit saecula mundo.  
94 Tum caelesti humiles sudabunt melle myricae,  
95 ipsi etiam fontes, ipsa et vaga flumina lacte  
96 undabunt, nec vestra lupos armenta timebunt.  
97 Ille autem populum monitis melioribus actum  
98 sinceram fruges et dulci e vite liquorem,  
99 taurorum pro caede, Patri mactare docebit,  
100 et precibus numen colere, et placare colendo.  
101 In te tot laudum, mater, pars magna redibit,  
102 una tuo matrum fortunatissima nato.  
103 Tum tibi Religio centum sublimia templa,  
104 centum aras, centumque aris sacrabit honores.  
105 Dictorum nec vana fides, nec sera sequetur.  
106 Nec jam pastorem vestrum ignorete volentes.  
107 Ille suas et amabit oves, et amabitur illis."  
108 Finierat ; divinae ambo responsa Sibyllae  
109 dum tacita rerum attoniti sub mente revolvunt,  
110 ibant, et tantae matri jam vota parabant.

.../...



## ECLOGA VII.

IN VIRGINEM ANNUNCIATAM.  
 VIRGO MATER. CONTENTIONEM HABET DUORUM PASTORUM.

E\_7 v.1 Quae nemora aut qui vos fontes, quae rura tenebant,  
 2 Thaborides nymphae ? Vestri sub vertice montis,  
 3 Virginea cum Matre super, miranda canebat  
 4 Azarias, istis vates non vanus in oris.  
 5 Mane rubent summo primi cum lumina solis,  
 6 ad pastum pecudes cum Beride Charmis agebat,  
 7 Charmis oves agnosque, capellas Beris et haedos,  
 8 ambo aetate pares, pastores Thaboris ambo.  
 9 Et quamquam, ut monitis componeret inter utrumque  
 10 jurgia longa, bonus nil non faciebat Obedon ;  
 11 usque tamen rixas et jurgia longa serebant.  
 12 Turbae causa fuit Zelphe, quam Betis amabat.  
 13 Hanc forma eximiam formosas longius omnes  
 14 ire super, dum jurat, eum jurare parantem,  
 15 turbidus in medio Charmis, sermone repressit :  
 16 cui Damaris, mundo Damaris nitidissima cultu,  
 17 Thaboridas longe nymphas super, una placebat.  
 18 Dumque sua Beris pro virgine plurima tendit,  
 19 proque sua Charmis Carmelo e monte redibat  
 20 Azarias animi vates maturus, et aevi.  
 21 Namque Deo plenus praedicere multa solebat,  
 22 et morem astrorum varium, pluviique monebat  
 23 agricolas, cum rura serunt, praesagia caeli.  
 24 Quem prior ut Beris venientem vidit : "Hic istam  
 25 inter nos, inquit, poterit componere litem."  
 26 At senior ramo innixus frondentis acanthi  
 27 restitit, et quae sint, audit quae jurgia tendant.  
 28 Illi altercantes inter se multa ferebant ;  
 29 praecipuos nam quisque suae tribuebat honores,  
 30 verbaque dum verbis, probris dum probra reponunt,  
 31 inque vicem rixantur, et addunt pignora rixis :  
 32 "His ultra, vates, inquit, ne tendite rixis,  
 33 o pueri ! Est, vestrae cui caedant, altera virgo."  
 34 Tum caelum blande aspectans, paulumque moratus,  
 35 abstinuit dictis, fari tum denique coepit.  
 36 "Audite, o pueri : vobis mysteria rerum  
 37 aperio magnarum, et spes hinc discite vestras.  
 38 Monte sub hoc, ubi primus oves, si vera vetustas,  
 39 pavit Abel, calamo curas solabar agresti,  
 40 incustoditae dum per praerupta viarum,  
 41 errabant toto passim submonte capellae.  
 42 Cantanti, calamoque animum curasque levanti,  
 43 quae mihi, quam divina dedit se virgo videndam,  
 44 cui si vestrae ausint, sese aequiparare puellae  
 45 desperent, sic una alias supereminet omnes.  
 46 Nec tantum puro cedit nox atra diei,  
 47 nec niveis tantum vaccinia nigra ligustris,  
 48 quantum aliae cedunt isti, me iudice, nymphae.  
 49 Quae super ostensa cum nuper virgine, nostris  
 50 narrabam in pratis, stupuit vicina Cleone,  
 51 displicuitque sibi, quamquam formosa, nec ulli  
 52 lenibus aut oculis, aut mundo cederet ore,  
 53 quid memorem lucentem auro, radiisque puellam,

54 cui caput auricomum, et multo splendore nitentes  
 55 ardebant oculi, ac formae caelestis honores.  
 56 Ut vidi, attonito sensi sub pectore eosdem,  
 57 quos animo inspirat Divum praesentia motus.  
 58 Ver purum blando spirabat ab ore puellae,  
 59 florebant sic labra rosis, sic ora ligustris.  
 60 Demissam ex humeris nectebat fibula vestem  
 61 candida candentem ; nam sese plurimus omnes  
 62 fuderat inque artus, inque ipsos candor amictus.  
 63 Candida erat blandos vultus, et eburnea colla,  
 64 candida cervices, et tempora candida vestes ;  
 65 candidus inque sinu, villisque argenteus albis  
 66 agnus erat, virgo quem blande amplexa fovebat,  
 67 Virgo puellarum pulcherrima, maxima matrum,  
 68 cui vestrae forma nolint non cedere nymphae.  
 69 Tum Charmis : "Cedat, quamquam sibi sedula crinem  
 70 componat Damaris, coepit jam vana videri,  
 71 quae mihi prima rosas, cui primus fraga ferebam.  
 72 Ipsa etiam Zelphe, qua non solertior ulla  
 73 texuit aut calathos, aut florea sarta paravit,  
 74 seu templo seu sarta, suo seu ferret amanti",  
 75 Beris ait, cedat Zelphe. "Tu maxima Virgo  
 76 nostras una super longe memorabere nymphas.  
 77 At mihi quis te, inquit, tenuit quem candida Virgo  
 78 pascendum, tener agne, dabit. Te mane sereno  
 79 florentem ad cytiseum, per pascua nostra vocarem,  
 80 umbraremque apio caput, et frondente cypero.  
 81 Te riguae exciperem herboso sub margine ripae,  
 82 gramineumque torum tenera de fronde pararem.  
 83 Mollis ubi aeternos Zephyrus candore perenni  
 84 ipse aeternus alit flores, et amoena vireta.  
 85 Sertis cara soror, vittis te sedula mater  
 86 ornaret, pexumque manu mulceret et herbas  
 87 selectas daret, ac puros post pabula fontes.  
 88 Tuque adeo ante gregem, nam grex tibi cederet omnis,  
 89 ad prata et fluvios ipsa ante armenta praeires."  
 90 Has agno, nymphaeque super, cum Beride Charmis  
 91 coeptae quisque sua demum pro virgine rixae  
 92 obliti, has ambo jactabant ore loquelas.

#### ECLOGA VIII.

IN VIRGINEM E RURE NAZAREO ABSENTEM ET VISENTEM ELISABETHAM DESIDERIA.  
 ASOR, ALPHAEUS, ZEBEDAEUS, INTERLOCUTORES.  
 DESCRIBIT RURIS NAZAREI TRISTITIAM ABSENTE VIRGINE.

AS.

E\_8 v.1 Quid tu dulci autem tam denique lentus in umbra,  
 2 o Alphaee, paras quae non fert carmina tempus ?  
 3 Parthenis hos montes, haec Parthenis arva reliquit.

ALPH.

4 Illud erat, praeter solitum, quod triste sonabat  
 5 fistula, et absurdis stridebat rauca cicutis.

ZEB.

6 Nuper et ipse etiam, si mens non vana fuisset,  
7 ipse malum hoc certis poteram cognoscere signis.  
8 Ducebam molles ad pascua nota capellas,  
9 cum matutino tollunt se gramina rore ;  
10 mirabar, quid colla novi languentia flores  
11 deprimerent, multo seu fors a sole perusti,  
12 liliaque, atque rosae, atque immortales amaranti.  
13 Parthenis hinc aberat, te Partheni lilia, et ipsae  
14 absentem sensere rosae, sensere amaranti.

AS.

15 Est ulmus, nostro impendet quae plurima ruri,  
16 huc philomela, omnem celebris philomela per oram  
17 assidue veniebat, ibi modulamine jugi  
18 noctes atque dies, animi indefessa canebat.  
19 Et praesens aderas cum, Partheni, montibus istis,  
20 haec canere umbrosa numquam cessabat ab ulmo.  
21 Nunc quod abes, maerens silet, atque in tristibus errat  
22 crebra gemens dumis, et saepibus in desertis.

ALP.

23 Partheni quando aderas, festum nemus omne canebat,  
24 et frondes avibus, pastoribus antra sonabant,  
25 laetaque ab argutis resonabant prata cicadis.  
26 Nunc nemus omne silet, nec jam pastoribus antra,  
27 nec frondes resonant avibus, nec prata cicadis.

ZEB.

28 Non pratis rigui fontes, non fontibus umbrae,  
29 non apibus deerant flores, non gramen ovili ;  
30 te sine, et ipsi apibus flores, et gramen ovili,  
31 et pratis desunt fontes, et fontibus umbrae.  
32 Rapta simul nostri tecum solacia ruris.

ASOR.

33 Ibant audaces sola in deserta capellae,  
34 ibat ovis, felix o ! Tum pecus, ipse et ovili  
35 parcebat lupus, arbustis calor, imber aristis.

ALP.

36 Ah ! Duris, virgo, nunc forte in montibus erras,  
37 nos pratorum umbram, et frigus captamus opacum.

ZEB.

38 Vos o ! Vos dulces Zephyri, rivi que fugaces,  
39 et calamo toties pastorum, et voce locuti,  
40 dicite : qua, medium dum sol tenet igneus axem,  
41 abdita rupe latet tum Parthenis ? Aut quibus oris  
42 inveniam errantem, vel quo sub fonte sedentem ?

43 Ah ! Quamquam agrestis sit patria, ne tibi tantum  
44 displiceat, postquam dulces te lucis in auras  
45 et tulit, et teneris toties dedit ubera labris.

ASOR.

46 Nam qui te poterunt nemorum tenuisse recessus,  
47 Partheni ? Si patriae ceperunt taedia terrae.  
48 Hic puri fontes, praetextaque fontibus umbra,  
49 hic nemus, et laetae fruges, et copia florum.

ALP.

50 Aut quid abis ? Dum fraga rubent, et frondet acanthus ;  
51 absentesque rubi spinis florentibus halant.

ZEB.

52 Parcite oves ad ripam accedere, gramina ripae  
53 Parthenidi sunt sacra ; aberit dum Parthenis, istam,  
54 namque hoc litus amat, ne carpite graminis herbam.

ASOR.

55 Ante suo inclemens Boreas quam frigore caelum  
56 perturbet, foedis aut imbribus ingruat Auster,  
57 Nympha, redi, ne te aut imbres, aut frigora laedant,

ALP.

58 Est tibi seposito qui floret amaracus horto,  
59 sunt myrti ingentes, nam myrtos semper amasti.  
60 Si qua tibi est, fuerat florum quae cura, venito.

ZEB.

61 Te matura, gravi quae pendent arbore poma,  
62 te nostrae invitant miti jam cortice ficus,  
63 sed poma, atque ipsae mitescant denique ficus,  
64 Nazareos donec colles, ac rura revisas.

ASOR.

65 Nympha redit colles reduci se gramine laeto  
66 ornabunt, tibi lacte fluent et nectare rivi ;  
67 adventuque tuo nostrum nemus omne virebit.  
68 Flores agricolae, pastores dona parabant :  
69 ipse intermixtis portaboserta hyacinthis,  
70 mecum erit Alarias, laevi qui carmina buxo  
71 cantet, quae vitreum quondam Jordanis ad amnem  
72 Isacides cithara pastor cantabat eburna.  
73 Addam et jam mites uvas, et cerea pruna.

ALP.

74 At si longinquis in montibus otia ducis,  
75 virgatum junco calathum pro munere texam.  
76 Hic tibi Nazarei describam pascua ruris.

77 Te maesta absente, et tristes per rura capellas.  
 78 Et quae perspicuis manabat fontibus unda  
 79 ibit pigra situ sitientes inter arenas ;  
 80 languerunt campis segetes et gramina pratis,  
 81 quaeque comam caelo nuper tendebat opacam  
 82 laeta abies, maesto caput inclinata dolore,  
 83 Nympha, tuos reditus orabit, et omnia circum  
 84 flebunt, si fletus possint in vimine pingi.

ZEB.

85 Si nos respicitis superi, servate puellam,  
 86 dum fugit et cursu per agros contendit anhelò,  
 87 dumque aberit, quando haec servabat rura, precamur,  
 88 ne rivi exundent ripis, neu turbidus imber  
 89 maturas vertat segetes, aut pascua foedet.

ASOR.

90 Nocturnos prohibe, Virgo, a praesepibus ignes,  
 91 et defende rosas a sole, a frigore myrtos,  
 92 dum tibi purpureaeque rosae, myrtique placebunt.  
 93 Ut si forte viae quondam, patriaeque relictæ  
 94 paeniteat, sint te reducem qui floribus ornent.

ALP.

95 Ah ! dura si tendis iter regione viarum,  
 96 ne properes, solet esse gravis properantibus aestus.  
 97 Ah ! ne sole calor te torridus urat iniquo.  
 98 Quin potius succede umbræ, dum praeterit ardor,  
 99 inclinaturque dies ; nam quid te perdis eundo ?  
 100 Aut cur aestivo tantum te sole fatigas ?

ZEB.

101 Partheni, quid nostros in longum ducis amores ?  
 102 Forte tuas etiam mala fistula verberat aures,  
 103 dum surdis patrii perdunt bona carmina ventis  
 104 pastores. Ista tibi fistula pendeat ulmo,  
 105 quando aberis, nostri monumentum triste doloris.  
 106 Nam dum te externis sors dura moratur in oris,  
 107 quis canat, aut patrio speret jam gaudia ruri ?

ASOR.

108 Maerebunt nostri montes, dum montibus absens.  
 109 Indulges, Virgo, externis, per pascua nullus  
 110 cantabit Sabaris, nullus saltabit Anamis.  
 111 Omnia desertis cessabunt carmina pratis,  
 112 et rivis trepidi fontes languentibus ibunt.  
 113 Haec super absentis cantabant carmina Nympha,  
 114 vicinae caelo referebant omnia silvae.

## ECLOGA IX.

IN VIRGINEM VISENTEM ELISABETHAM. ABSENTIA.  
DESCRIBIT PROFECTIONEM VIRGINIS AD MONTES.

E\_9 v.1 Vos mihi, quod vestris quondam longaevus Amyntas  
2 cantabat silvis, quicumque audistis Amyntam,  
3 dulcia cum patrio reddebat gaudia ruri,  
4 vos mihi divinum pastores dicite carmen.  
5 Ipsae hoc, namque et oves, ipsi cum matribus agni,  
6 ipsae hoc, ut perhibent, stupuerunt carmine valles.  
7 Errabant maesti per agros Benonis, et Asor,  
8 compulerantque greges vicini sontia ad umbram,  
9 pascentes Arnon servabat dum bonus agnos.  
10 Absentemque ambo per devia rura vocabant  
11 Parthenidem, quae non istis ad prata diebus  
12 venerat, absentem rupes et saxa sonabant.  
13 Thaboris alta fuit declivi in valle cupressus,  
14 nobilis et flexu ramorum, et frondis opacae,  
15 quam festis circum, calamo resonante, diebus  
16 et captare umbram nymphae, et cantare solebant.  
17 Hanc praeter dum maesti irent Benonis et Asor.  
18 Illa ferat, nostri ostendat quae signa doloris,  
19 Asor ait, simul haec, simul imo in cortice scripsit  
20 Parthenidem absentem, nec longum tempus, in omnem  
21 rumor iit pagum, discurritur, undique colles  
22 Parthenidem rauci absentem, vallesque resultant.  
23 Non tulit hanc speciem, montes qui nuper in altos  
24 duxerat, et Nympham fuerat comitatus Amyntas,  
25 processit turbae in medium, coepitque profari.  
26 "Audite, o pueri, vobis nam certa reporto  
27 de Nympha absente, haec montes concessit in altos  
28 plena Deo, ceu cum surgens Aurora supremos  
29 se tollit primum in montes, lucisque propinquae  
30 spem mundo ostendit, sperataque dona diei.  
31 Nam postquam sacro accepit sub pectore Solem,  
32 promissum mundo Solem, quem tempore sero  
33 venturum patres olim vatesque canebant,  
34 ire parat, summosque super se tollere montes.  
35 Et quamvis ea cura animo vel prima recurset  
36 cognatam jam fractam annis, uteroque gravatam  
37 solari, et pactae gratari munera prolis :  
38 plus tamen acceptum numen vulgare per urbes  
39 finitimas, tantamque orbi spem ferre parabat.  
40 Quod potius reor, et potius fas credere duco,  
41 ipse nec egregio nymphae dignatus Helides  
42 connubio, quamvis celaret multa : negabat.  
43 Ergo iter ingressi serimur per opaca viarum,  
44 illa comam vittis, summa e cervice, coercens  
45 ipsum circa apicem, lino candente, premebat.  
46 Nympham autem tacite mecum mirabar euntem,  
47 et largo totos signantem lumine calles.  
48 Namque ut divinum sancto sub pectore Solem  
49 portabat, lux multa sacro manabat ab ore.  
50 Olli palmiferi toto qui tramite colles  
51 occurrunt festo interea sua gaudia plausu  
52 testari, rauco blandiri murmure fontes.  
53 Et strepere, et molles per saxa iterare susurros.

54 Ipsae etiam ripis volucres, et vallibus imis  
 55 assuetae, tenues visae gestire per auras,  
 56 et blando auditae per dumos plaudere cantu.  
 57 Vosque adeo montesque cavi, vallesque profundae  
 58 sensistis Nymphae adventum, nam culmina montes  
 59 curvare, et valles vidi exsultare profundas,  
 60 exsultastis agri plausu, exsultastis aristae.  
 61 Quid memorem summis coeptas se flectere cedros  
 62 verticibus, rigidasque caput motare cupressos.  
 63 Ipsae etiam quercus, et summa cacumina fagi,  
 64 Parthenidi, ipsae etiam tendebant brachia silvae,  
 65 et seges irrequieta, videndae virginis ergo,  
 66 tollebat caput, et rupebant germina frondes.  
 67 Et stupefacta suos tenuerunt flumina cursus.  
 68 Ut ventum in montes, montanas undique nymphas  
 69 vidimus arbuteis flores properare canistris,  
 70 et Nympham tegere, et nimbo cumulare rosarum.  
 71 Ipsi pastores ovibus venare relictis,  
 72 rustica multifori fundentes carmina buxo ;  
 73 dum lascivus agris aries, haedique petulci  
 74 persultans, teneroque procul sub gramine ludunt.  
 75 Parte alia tellus se mille coloribus ornat  
 76 laetitiam testata, novosque aspirat odores  
 77 et quocumque pedes virgo deflectit, amoenum  
 78 pubescit nemus, et ramos inclinat olentes.  
 79 Ipsi Parthenidem rami, frondesque salutant.  
 80 Haud procul incolitur saxo fundata vetusto  
 81 urbs Hebron, ubi Zachariae tecta alta subimus ;  
 82 Dumque domum vates nos accipiebat in amplam,  
 83 Parthenidi occurrit sese confessa minorem  
 84 Elisabe, quam Nympha sinu complexa verendo  
 85 et premit, et fetum gratatur, at illa repente  
 86 divinos trepido sensit sub pectore motus,  
 87 laetitiaeque, utero saliens, signum edidit infans.  
 88 Quo motu concussa parens longaeva, puellae  
 89 fata aperit, solo dum monstrat gaudia nutu,  
 90 quod poterat senior, cui fandi erepta facultas.  
 91 Finierat, sed non poterant lenire dolorem  
 92 pastores, Nympha absenti, namque omnia dura  
 93 quando Virgo aberat, patriae metuenda videbant  
 94 illi adeo, dum forte aestum, curasque levarent,  
 95 valle sub umbrosa, terebinthum subter opacam,  
 96 absentem flebant alterno carmine Nympham.

## ECLOGA X.

IN VIRGINEM PURIFICATAM. SACRIFICULI.  
 AMASIAS, ADONIAS, INTERLOCUTORES.  
 APPARATUS AD SACRIFICIUM EXPIATORIUM PRO VIRGINE PURGANDA.

AM.

E\_10 v.1 O ! quae pura rubens inflammat sidera vesper,  
 2 puri ignes liquidis vos o ! purgate sub undis ;  
 3 istam quando venit, quae sese mundet ad aram,  
 4 virgo pura magis puri vel lumine solis.

AD.

5 At dum Nympha venis, nivei tibi bina coloris  
6 licia circumdo, et circum hoc altare reduco :  
7 nam te pura decent, ea prima piacula sunt,  
8 deinde suis et erunt ornandae floribus arae.  
9 Interea plenis per florea rura quasilis  
10 carpantur lentae myrti, carpantur olivae  
11 flavescentes, festae sint haec insignia lucis.

AM.

12 Quando, virgo, tibi purgandae sacra paramus,  
13 acceptae nulla ut restent vestigia labis,  
14 (si tamen e partu labem accepisse putandum est)  
15 quaerendus lympham primum qui simplice fusus,  
16 et per crystallo fugiat per gramina rivus,  
17 tum puri latices isto de fonte petendi,  
18 quos non limus iners fundo turbaverit imo,  
19 et crebra undarum lustrandum aspergine templum.

ADON.

20 Ante autem flammam adhibe, prius omnia flammis  
21 sunt lustranda, ter igne, ter aram thure vapora.  
22 Nonne vides, nitidus flammae quae contigit ignis,  
23 purgari, et porro fuerant quae lapsa refingi.  
24 Tum, quae vel flamma nondum purgaverit ignis,  
25 vel cocto non thure piaverit, eluat unda.  
26 At ne sulphureum fumo graveolente bitumen  
27 ure foco, tardumve picis patiare vaporem.  
28 Sed Libano lecti ante alios de monte petendi,  
29 qui puris permixti herbis urantur odores.  
30 Addendum quidquid tollendae est utile labi.  
31 Debita, virgo tibi partuque, uteroque solutae,  
32 lustrandisque aris ne fors purgamina desint.

AM.

33 Tu fer aquam, vacat urna, et fundo inverge capaci,  
34 dum flammam expedio, ne quid quorum indiget usus,  
35 cum non tempus erit, frustra fortasse requiras.  
36 At cave, subjectam latices dum fundis in urnam,  
37 si supra morem spumaverit unda, refundas,  
38 quaeque natant labri summo spumantis in ore,  
39 dum licet, impuras quamprimum rejice sordes ;  
40 versis istam et aquis pateram purgare memento,  
41 omnia Parthenidi sint ut sincera piandae.

AD.

42 Tu quoque praecepti partem tibi sume laboris,  
43 ne, fuerant nobis quae mox properanda, moremur.  
44 Digere candentes prunas, focus unde paretur,  
45 cunctaque cum primum fuerint digesta, sub aram  
46 thura fer, et jussos flammis asperge liquores.



AM.

47 Cernis, sponte sua, ut subitis altaria flammis  
 48 corripuit focus ipse, focum dum forte parabam.  
 49 Dum flammae exsuperant, et plurimus aestuat ignis,  
 50 tu flammis mecum collectos injice odores.  
 51 Adde mares oleas, et olentem cortice cedrum,  
 52 et quas ore malo grex nondum impresserit herbas,  
 53 adde rosas, fumum imprimis compesce sequacem ;  
 54 ne vapor inficiat, quae fors purgaverit ignis.

AD.

55 At dum purgandis spargebam altaribus undam,  
 56 saxo sponte sua nitor additus, aspice ut omnis,  
 57 quae modo sordebat tabo, nunc splendeat ara.  
 58 Haec te, divina o mater, praesagia spectant,  
 59 Hebraeas inter non dedignata maritas  
 60 lustrari. Quin Virgo venis, dum sacra paramus.  
 61 Namque quaterdenos vetitam procedere soles  
 62 ista dies istam te demum exspectat ad aram.

AM.

63 Nec tu, pura licet, purgari sperne, serenos  
 64 expurgant vultus liquidis in fluctibus astra ;  
 65 quinetiam eximios candore videmus olores  
 66 ferri ad aquas, studioque alacres gestire lavandi.

AD.

67 Desine plura, et ibi, quae sunt provisa, repone,  
 68 est aliud, quod nunc sacrorum postulat ordo,  
 69 candenti lino praecingere, et ilia circum  
 70 duc vittam, et magnae, dic, necto vincula matri.

AM.

71 Postquam devotas acceperit ara palumbes,  
 72 (nam gemina est matri proles redimenda palumbe)  
 73 tu diffringe alas, caelo ne forte patenti  
 74 elapsas fuga dissipet, atque absterreat aris.

AD.

75 Sepositos ignes incensa profer ab ara,  
 76 atque haec verba adde. His, Virgo, purgabere flammis,  
 77 ut flammis fusi purgatur massa metalli.

AM.

78 Tu dum spargis aquas, has proderit addere voces.  
 79 Ut magis hac crebra undarum aspergine saxum  
 80 eluitur, sic tu hac, Virgo, lustraberis unda.

AD.

81 At tibi collectos, brevis est mora, nectere flores

82 cura sit, et nexos ori fer, et apprime labris :  
 83 et dic "Hos flores, haec offero dona piandae  
 84 Parthenidi, tanto sit Parthenis omine pura."

AM.

85 Carmina mittamus, quod fert jam tempus, agamus,  
 86 carmina multa satis. Veniat modo Nympha, canemus.

ECLOGA XI.

IN VIRGINEM EXPIATAM LAUDES.

ZAMBRI. AZARIAS.

VIRGINEM E TEMPLO REDEUNTEM LAUDIBUS PROSEQUUNTUR.

ZAM.

E\_11 v.1 Azaria, postquam perfecto munere mater  
 2 exportans natum sacris purgata recessit,  
 3 et nos purgatae debemus carmina matri.  
 4 Matri cujus honos tollit se tantus Olympo,  
 5 editus a terris quantum se tollit Olympus.

AZAR.

6 Et quae debemus, par reddere carmina Nymphae,  
 7 Nymphae, cujus amor divini dignus amoris  
 8 fecit eum, caeli cui regia paret, amantem.  
 9 Quid cessamus ? Amet nostro se carmine dici,  
 10 si nostri tanta digni sint Virgine cantus.

ZAM.

11 Betlemii colles ! Quondam plorata Racheli  
 12 rura, cavis o ! nunc redeunti plaudite Nymphae  
 13 rupibus, et toto exsultans e litore plausum  
 14 Jordanis, plausum ipsa omnis responset Idume.

AZAR.

15 Tendis Betlemiae dum, Virgo, per ardua rupis,  
 16 balsama, vel si quid quam balsama suavius usquam est,  
 17 sub pedibus, passimque virens nascatur amomum,  
 18 ne sit is indignus, tanta te Virgine, callis.

ZAM.

19 Ardenti Virgo ne fors se sole fatiget,  
 20 dum redit utbe domum, non omnia possumus omnes,  
 21 vos umbram palmis, umbram praetendite myrtis :  
 22 pastores, meruit fleris sibi talia Virgo.

AZAR.

23 Ne nimium montana feras per saxa laborem,  
 24 (namque gravis montana labor per saxa) sonantes

25 si ventos, dum tendis iter, nubesque timebis,  
26 carmine mulcebo ventos, nubesque tenebo.

ZAM.

27 Verum ego dum Nymphae clementis commoda caeli  
28 orabam, nexisque arcendos frondibus aestus,  
29 jam blanda aspirat lenis clementia caeli,  
30 et solis sese nimii fregere calores.

AZ.

31 At vos, dum sponsae sequitur vestigia sponsus,  
32 lenti ite, in medio ne fors puer algeat aestu ;  
33 neu dura infesti noceant incommoda caeli  
34 aut puero, aut matri, sperataque gaudia vertant.

ZAM.

35 Si patrii audierint me vates, publica totis  
36 cantabunt Nymphae redeunti carmina silvis.

AZ.

37 Et mihi pastorum pubes si rustica credat,  
38 mille illi totis pendebunt munera lucis.

ZAM.

39 Nymphae Betlemiis florent quae lilia campis  
40 concedant, summoque nitent quae sidera caelo,  
41 et tu, Luna, ardes cum puro argentea vultu ;  
42 concedat Sol ipse, auro dum lucet et igni.

AZ.

43 O qui purpureis superos ardoribus ignes  
44 accendis, seu mane novo cum prima per orbem,  
45 ultima seu sero cum vespere lumina portas,  
46 lucide Sol, possis nil visere Virgine majus.

ZAM.

47 Sed puer ipse etiam est laudari dignus, et isto  
48 quo mater (si fas) dicendus carmine nobis.

AZ.

49 Magna puer meruit, debet cui maxima mater.  
50 Una suo matrum fortunatissima nato.  
51 Illa sinu dum blanda fovet, vultuque puellum,  
52 credo equidem teneris rapit oscula mille labellis,  
53 qualia nulli umquam natus dedit oscula matri,  
54 quantaque vix ullae possint sperare parentes.

AZ.

55 Dumque suam vultu matrem ridente fatetur.

56 Natus, amor matris jam non sua gaudia celat.  
 57 Nec jam dissimulas, (quamvis pudor obsit amori)  
 58 quem nuper, Virgo, nolebas matris honorem.

ZAM.

59 Uberibus matri dum turget lacteus humor  
 60 distentis, longum mammis indulgeat infans.

AZ.

61 Et dum tam puri liquidos bibit uberis haustus,  
 62 crebro hunc amplexu permulceat optima mater.

ZAM.

63 Cum primo nomen matris tentabitur ore,  
 64 ne stupor impediatur puerilis murmura linguae.

AZ.

65 Et cum jam pedibus vestigia figere certis  
 66 incipiet, petat amplexus, petat oscula matris.

ZAM.

67 At quoties labris nati imprimet oscula mater,  
 68 florentes tot ab ore rosas, tot lilia carpat.

AZ.

69 Et quoties natus pendebit ab ubere matris,  
 70 impresso puras tot ducat ab ubere gemmas.

ZAM.

71 Matris in amplexu tantum venientibus annis  
 72 cresce puer, quantum primi sub tempore veris  
 73 vallibus in riguis, et opacae matris in umbra,  
 74 surculus aerias se tollere suevit in auras.

AZ.

75 Ah ! puer in quantos crescis cum matre dolores !  
 76 Nec te paeniteat puer ah ! divine laborum.  
 77 Si qua fides monitis vatum, tu sanguine fuso  
 78 polluti quondam purgabis crimina mundi.

ZAM.

79 Fortunate puer, tenues quem lucis in auras  
 80 fudit pura parens, et puro nectare pavit.

AZ.

81 Fortunati ambo, quorum se legibus Orbis  
 82 inclinat, magnusque olim parebit Olympus.

ZAM.

83 At magnus quamquam vobis parebit Olympus :  
84 has laudes, nostri ne spernite pignus amoris.

AZ.

85 Quod si virgo, tuum non est audacia numen  
86 orare, oramus te per, tua gaudia, natum.

ZAM.

87 Perque sinus illos, quibus arte se implicat infans,  
88 involvitque tui, mater, securus amoris.

AZAR. Te per et illa tuo, quae pressas ubera nato,

89 Quae pressas nato caelestibus ubera palmis.

ZAM.

90 Per dulces pueri risus, per dulcia verba  
91 verba inter blandae, quae frangit, murmura linguae.

AZAR.

92 Per quidquid dulci in puero tibi dulce futurum est.  
93 Da facilem, inquit si nostra in crimina natum.

ZAM.

94 Et quamvis regem caeli alta palatia natum,  
95 quamvis reginam te, Virgo, sidera sperent,  
96 ut nostri memorant vates ; et credere justum est :  
97 teque, tuumque, feras si nostra haec munera, natum  
98 semper flore novo, semper venerabimur aris.

## ECLOGA XII.

IN VIRGINI OBITUM SUSPIRIA.  
DEPLORANT VIRGINIS MORTEM PASTORES.

E\_12 v.1 Flebat deposito sub vomere tristis arator  
2 extinctam fati, et iniquo funere raptam  
3 Parthenidem, patrii fuerat quae gloria ruris ;  
4 flebat turbato stupefactus pastor ovili,  
5 flebant agricolae, flebant armenta ; neque ullum  
6 solamen maesti agricolae, aut armenta ferebant.  
7 Sed magis ante alios puer Alcimus, et puer Ammon,  
8 quos bona formabat Virgo, et divina docebat,  
9 flebant, dum Lysias prima sub luce ferebat  
10 in calatho tritos patriae felicis odores,  
11 extremum munus tumulo, et suprema parabat.  
12 Dumque ipso tumuli sub limine fusus, et amens,  
13 Alcimus haerebat lacrimans, Nymphamque vocabat.  
14 Verum ubi compressit suspiria prima doloris,

15 rupibus haec maerens Aminon jactabat et auris.  
 16 "Postquam crudelis rigida inclementia fati  
 17 te rapuit, rerum longe o pulcherrima Virgo,  
 18 quid faciam ? Tu diva tuo nos funere perdis.  
 19 Tu patrii affatu mala jurgia ruris amico  
 20 sedabas, tu rebus eras solamen acerbis.  
 21 Vidi saepe meos, dum me divina monebas,  
 22 herbarum immemores tauros haesisse, nec ausos,  
 23 virgo, tuas ullo mugitu rumpere voces.  
 24 Te saxa et fontes, te conigerae cyparissi,  
 25 te valles montesque feri obstupuere loquentem.  
 26 Fulmina nigranti si quando e nube ruberent,  
 27 accensa in nostras segetes, suspensa tenebas,  
 28 tollebasque metum, quin nostris saepe solebas  
 29 vel dare, vel nimios avertere messibus imbres.  
 30 Parthenis et vitae jam non mottalis amorem  
 31 instituit, gentemque suam compescere jussit  
 32 spes inconcessas, et inania ponere vota.  
 33 Parthenis et duros cultu formabat agrestes  
 34 et placare graves offensi numinis iras  
 35 monstrabat, moresque novos, nova sacra docebat ;  
 36 addebatque animum dictis, cum laeta piorum  
 37 praemia pandebat memorans, poenasque nocentum.  
 38 Nunc autem, Virgo, quid post tua funera sperem  
 39 perditus ? An durem invisae fastidia lucis ?  
 40 Quin potius longe absisto, indulgensque dolori  
 41 collem in secretum, et nemora in deserta recedo.  
 42 Hic ubi silvarum secessus inter opacos,  
 43 aeternum maerens, et lucis abditus atris,  
 44 possim perpetuis consumere fletibus aevum.  
 45 Plantabo umbrosam nigranti ex ilice lucum,  
 46 et luco in medio pallenti e fronde cupressum,  
 47 quam juxta tumulum viridi de caespite ponam,  
 48 maestus ubi, ducensque imo suspiria corde,  
 49 avia saepe meis implebo saxa querelis.  
 50 Vos mihi vos eritis testes, o saxa, meique  
 51 lucus hic, ingentem cum late fecerit umbram,  
 52 venturis olim pastoribus, arbore opaca,  
 53 corticeque inscripto, monstrabit signa doloris.  
 54 Crescetisque mei, trunco crescente dolores.  
 55 Jamque mihi videor saltus errare per altos  
 56 solus, et ingenti jam silvas rumpere planctu.  
 57 Lamenta et silvae jam sunt medicina dolori.  
 58 Sed quid ego haec ? Nec erunt silvae medicina dolori.  
 59 Nec lamenta, ipsae rursum concedite silvae,  
 60 concedant lamenta, dolor non talia curat.  
 61 His Ammon lacrimis, his Alcimus ora rigabat.  
 62 Nam quis te casus pertaesam denique lucis  
 63 eripuitque tuis, et acerbo funere mersit ?  
 64 An tibi nec quidquam est natus, cui pareat aether ?  
 65 Hoc erat, exstinctae quod nuper ad ubera matris  
 66 tantum balaret nostris ab ovilibus agnus ;  
 67 percussusque boum crebris mugitibus amnis,  
 68 plangeret, et planctu ripae, rupesque sonarent :  
 69 ipse aderam, sed me ignarum mens laeva tenebat.  
 70 Ipsi etiam, ut perhibent, nostris in montibus ursi  
 71 immanes ursi, ipsi etiam flevere leones.  
 72 Infelix Ammon ! Quid jam suspiria perdis ?

73 Quidve paras ? Postquam te, Partheni, tristia saxa,  
 74 postquam te flerunt deserta per avia valles.  
 75 Partheni, te Libanus, te, Partheni, pinifer Hermon  
 76 flevit, et e summo plorarunt vertice pinus.  
 77 Flevere et cedri immanes, flevere cupressi.  
 78 Quin sol tristitiam caelo testatus ab alto  
 79 haesit, et attonito consistere visus Olympo.  
 80 Verum etiam fama est visas per confraga cautes  
 81 scindere se, atque sui, ut poterant, dare signa doloris.  
 82 Temporeque ex illo, pastus oblita, sub ipso  
 83 gramine plorat ovis, silvasque aversus, et amnes  
 84 maeret jejunos, plena ad praesepia, taurus.  
 85 Et tua, Virgo, ipsae censerunt funera nubes,  
 86 sensit et ipse aer gregibus non aequus et omnis  
 87 undarum qui purus erat, nunc turbidus humor.  
 88 Sed quibus aut Virgo non est plorata sub antris ?  
 89 Aut qui non montes tantum doluere dolorem ?  
 90 Haec pueri. At postquam Lysias effudit odores  
 91 in tumulum, multoque locum veneratus honore est.  
 92 "Mecum, ait, o socii, tumulo date tura, nec isto  
 93 laetitiam fletu festae turbate diei,  
 94 Parthenis in caelo, post tristia fata superstes,  
 95 nil jam lucis egens caelesti vescitur aura."  
 96 Illi spe tanta fletus tenuere, neque ultra  
 97 vel sua damna, suae vel questi funera Nymphae  
 98 una animo jam cura, locum decorare supremis  
 99 muneribus, festoque diem celebrare triumpho."

### ECLOGA XIII.

IN VIRGINEM ASSUMPTAM. APOTHEOSIS.  
 VIRGINIS TRIUMPHUS CELEBRATUR A PASTORIBUS.

E\_13 v.1 Parthenidem faciles lunas, solesque serenos  
 2 orate agricolae, nam Parthenis imperat astris.  
 3 Hanc ego, cum mollem tondebam serus acanthum,  
 4 caeruleo vectam vidi super aethera curru.  
 5 Carmina quae summo respectans laetus Olympo  
 6 cantabat Jonathas pastoribus, omnis at illum  
 7 pastorum turba hortatur, quae gaudia portet,  
 8 effari, visaque super quid Virgine pandat.  
 9 Tum sociis Jonathas sua porro visa renarrat.  
 10 Dicit uti superos Virgo superaverit orbis  
 11 quo cursu super astra, quibus volitaverit alis,  
 12 exin uti rutilo texti ceu solis amictu,  
 13 candenti lunae impositam per caerula caeli  
 14 enavit, summoque volans successit Olympo.  
 15 Unde obitus varios astrorum cernit et ortus,  
 16 sub pedibusque omnes superos, supera alta tenentes  
 17 et videt et magni miratur limen Olympi.  
 18 Deinde aperit, quam spem patriis pastoribus, et quam  
 19 agricolis rerum faciat jam maxima Nympha.  
 20 Postquam illam caeli, tempestatumque potentem  
 21 esse dedit summoque Deus praefecit Olympo.  
 22 "Vosque, ait, o quibus est telluris cura colendae,  
 23 ne posthac signorum obitus spectate vel ortus,

24 candida erit vobis, omni pro sidere, Virgo,  
25 sidere quo, gleba seges ubere gaudeat, et quo  
26 incurvet sese ramis felicibus arbos.  
27 Exercete solum, agricolae, date semina sulcis,  
28 Tempus humum serere, et curvis insistere aratris,  
29 morem sideribus dum Virgo imponit et auris.  
30 Vos neque jam vanis, credo, frustrabit aristis  
31 exspectata seges, segeti neque noxius imber  
32 officiet, sterilem nec deseret humor arenam.  
33 Major erit pressi, sub Virgine, copia lactis,  
34 largior undabit pleno vindemia praelo,  
35 duraque mitescent succos oblita priores  
36 poma, nec arboribus venti, segetique nocebunt.  
37 Sed quo larga magis spumet vindemia praelo,  
38 quo plus se ramis curvet felicibus arbos ;  
39 quo plus vel pecoris, vel copia lactis abundet,  
40 Nympha, tuae donis fument majoribus arae.  
41 Namque tibi, postquam caeli te magna recepit  
42 Regia, dona tibi, Virgo, debemus, et aras.  
43 Olim tempus erit, quando te maximus orbis  
44 accipiet dominam rerum, populique per orbem  
45 instituent tibi centum aras, centum ardua templa,  
46 et templa atque aras candenti e marmore ponent.  
47 Nos autem myrtos, quod possumus, o bona Virgo,  
48 Virgo, tibi myrtos totis plantabimus agris.  
49 Hic ubi pastorum chorus et vicinia ruris  
50 dona ferat, supplexque tuos tibi dicat honores.  
51 Haec prata, hos fontes, haec, Partheni, rura colebas ;  
52 atque haec prata tibi, hi fontes, haec rura placebant.  
53 At quando natum, Virgo, non vana precaris,  
54 sublimi e solio, et caeli e regione serena  
55 respice nos facilis, da limina tangere divum.  
56 Nam, memini, nos id quondam sperare jubebas.  
57 Interea largo proventu plenior annus  
58 contingat, veniatque suo seges ampla colono  
59 da gleba agricolis felices ubere campos,  
60 pascua da gregibus, pingues da matribus agnos.  
61 Et quae tuta dabas pastoribus otia, serva.  
62 Nosque tuum, superent nobis modo carmina, nomen  
63 in caelum cantu assiduo sublime feremus,  
64 ad fontes cum messis erit, cum frigus ad ignem."  
65 Haec Jonathas : eadem pastores omnia laeti  
66 dum repetunt, tumulo frondes, et florea sarta  
67 imponunt viridemque comam frondentis acanthi,  
68 et casiam, et violas, et suave rubentem hyacinthum.  
69 Omnibus, in manibus palmae, omnes carmina laeti  
70 sacra canunt, plexis et inumbrant ora coronis.  
71 Quin et solemni pro religione parentum,  
72 ad tumultum totos ducunt septem otia soles,  
73 immunes operum, non his vel aratra diebus  
74 impressere solo tauri, vel plaustra tulere.  
75 Interea totis pastorum factus ab agris  
76 ingens concursus tumulo, quos fama vocaram  
77 et primi venere, tuas qui, Gabatha, valles ;  
78 quique tuas, Betsura, colunt, quos buxifer Hebron,  
79 quos Hesebon, rigido quos vertice pascit Arimna ;  
80 tum qui Betlemios servant armenta per agros,  
81 felices herbis, felices frugibus agros ;



82 venit et ingentes portans pro munere myrtos  
83 turba frequens juvenum, quae Galgala summa colebat,  
84 Galgala myrtetis laetissima, venit et omnis  
85 qui Libanum circa montem et declivia montis  
86 pastor agit dulces ad gramina nota capellas,  
87 ver ubi perpetuum, semperque virentia prata :  
88 et sua dona omnes, ut cuique est copia, portant.  
89 Unde ornent tumulum Nymphae, nec dicere laudes  
90 egregias cessant, nec laudibus addere grates,  
91 laetitiae istius memores, caeloque receptae  
92 Parthenidis festum gratati rite triumphum.

\*\*\*\*\*